Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

tumuit et invidie febre tabuit. sponte in locali sanctitate prolapsus, caeloque locali non sponte deiectus. Cum non angelus sed bonus esse cessaverit innocentiam perdidit non naturam; proinde sicut angelicae multitudo quae perstitit in utroque sui beatificatur, ita quae abstitit in suis utroque punietur. Igitur haut quaquam recte duas ~~duas~~ in diabolo substantias infitiabere. quia etiam memet spreto necesse profecto erit. ut tunc cedas tibi et parte professionum tuarum parte subplodas falsique vel diruas. Habeat ergo diabolus ipse tam incorporeus corpus suum. quia et sentire sine corpore corporea tormenta non poterit. et aliud qui sentit aliud est et per quod sentitur aliud est. quippe si animadvertas, tuomet veritatem proloquio doceberis; Neque dixisti si ex hoc certo aere diabolus corpus traxit ergo alienum corpus ad tormenta portabit. tamquam egomet istuc umquam uspiam dixerim; sed non infitias eo (taris l. devenimus) debitum quod hoc argumento victoria nobis non sponte tribuisti; neque enim cum dicis quod diabolus non alienum corpus ad tormenta portabit. fateris scilicet quod portabit suum. mea vero non refert suum nec alienum nec corpus habeat. sed habeat necne corpus. id refert mea. Tu vero diabolum non tantum habere corpus sed proprium habere. nec fateris solum sed etiam argumentaris. Haec quippe sententia tua est si ex hoc certo aere diabolus corpus traxit. ergo alienum corpus ad tormenta contraxit. ergo alienum corpus ad tormenta portabit. Certe qui portat est aliquid. et quod portatur est aliquid. et cum dicitur portat suum. aliud quod portat. et aliud significatur esse quod portat. Ex duplici ergo diabolus ac diversa substantia est. quia cum corpus suum portat. non est ipse quod portat. aliud quippe est onus. et aliud portitor; quo circa non ultra obluctabere (be) nobis si credas tibi. quoniam corpus et qui habet corpus substantialiter duo sunt. et haec duo diversa sunt. atque ut diversa sint. unum erit incorporeum aliudque corporeum. Igitur diabolus ex duplici diversaque substantia et corporeus est et incorporeus.

Sed si superius [illegible] redhibuimus. vel aliqua ex parte rationem illud chaos quod inter sontes innoxiasque animas sic argumentaris interstitii locis merita secernit. sub ipsius capituli tui discussione